

gibilem reperientes..... decrevimus eum cum pernicioſa doctrina ſua damnatum mittere ad vos, quatenus eum recludatis in parochia veſtra..... et non ſinatis eum amplius errorem docere et ſeducere populum Chriſtianum, quia jam multos ſeductos habet et minus devotos erga ſuam ſalutem, qui dicunt: quid mihi proderit laborare in ſervitio Dei? quia, ſi prædeſtinatus ſum ad mortem, nunquam illam evadam: ſi autem male egero, et prædeſtinatus ſum ad vitam, ſine ulla dubitatione ad æternam requiem vado etc.

SECUNDA vero ſententia talis erat (Labb. ib. p. 57.): *Frater Gotheſchalc, ſacroſanctum ſacerdotalis miniſterii officium, quod irregulariter uſurpaſti, et in cunctis moribus ac pravis artibus, atque perversis doctrinis cohaectenus abuti non pertinuisti, iudicio Spiritus ſancti..... noveris tibi eſſe, ſi quo modo ſuſcepisti, ſublato, et ne ulterius eo fungi præſumas penitus interdictum. Insuper quia et eccleſiaſtica et civilia negotia contra propoſitum et nomen monachi conturbare, contemnens jura eccleſiaſtica præſumpſiſti, durisſimis verbis te caſtigari, et ſecundum eccleſiaſticas regulas ergaſtulo retrudi, auctoritate episcopali decernimus: et ut de cætero doctrinale tibi officium uſurpare non præſumas, perpetuum ſilentium ori tuo virtute æterni Verbi imponimus.*

Quenam vero fuerint perversæ doctrine Gotheſchalc, exponit HINC MARUS illius iudex in ſuis tum ad Amolonem, tum ad Nicolaum epistolis, et c. 2. ac 3. Libri de Prædeſtinatione. Nempe 1<sup>o</sup>. quod ante omnia ſecula Deus quos voluit prædeſtinavit ad regnum, et quos voluit prædeſtinavit ad interitum: 2<sup>o</sup>. et qui prædeſtinati ſunt ad interitum ſalvari non poſſunt; et qui prædeſtinati ſunt ad regnum perire non poſſunt: 3<sup>o</sup>. et Deus non vult omnes homines ſalvos fieri; ſed eos tantum qui ſalvantur; et quod dicit Apoſtolus: Qui vult omnes homines ſalvos fieri, illos dici omnes qui tantummodo ſalvantur: 4<sup>o</sup>. et Chriſtus non venit, ut omnes ſalvaret, nec paſſus eſt pro omnibus, niſi ſolummodo pro his qui Paſſionis ejus ſalvantur mysterio: 5<sup>o</sup>. et poſtquam primus homo libero arbitrio cecidit, nemo noſtrum ad bene agendum, ſed tantummodo ad male agendum libero poteſt uti arbitrio.

Conf. 1. Capitula quatuor Cone. Carisiaci (Labb. ib. p. 56.) ſunt edita contra doctrinam Gotheſchalc, ut ex L. de prædeſt. c. 16. HINC MARI patet, qui primo ex illis recitato ait: *Ecce Capitulum, quod contra Gotheſchalcum et erroneam ejus ſcholam neceſſitate compulſi, et interrogatione principalis devotionis exacti, ſecundum ſanctarum Scripturarum tranſitem ex verbis B. Auguſtini et Proſperi cæterorumque Catholicorum Doctorum ſenſibus excerptæ procuravimus.* Sed hæc Capitula directe oppoſita ſunt dogmatibus prædeſtinatianis; ergo.

Conf. 2. AMOLO Archiep. Lugd. in ſua ad Gotheſchalcum epistoſa, poſtquam ſpecialim ſingula ſcripta recensuiſſet, exponit, quæ in ejus doctrina ſibi valde diſplicent, quæ deteſtetur et abhorreat. Inter hæc autem ſunt pleuraque hæreſis prædeſtinatianæ capita.

Conf. 3. Gotheſchalcus proſitionibus in hac materia vere catholicis, et in ſenſu Sanctorum Patrum accipiendis nequidem in articulo mortis ſubſcribere voluit, id quod narrat HINC MARUS L. de non trina Deitate.

278. Obj. I. 1<sup>o</sup>. RABANUS de Gotheſchalc dogmate doctus fuit a Nottingo: ſed hic, Noriſio iudice, parum exercitatus in Auguſtiniana paleſtra non erat iſ qui RABANUM informare poſſet circa altiſſimam quæſtionem; unde hic in ſuo de prædeſtinatione opuſculo non neceſſariam et ad rem non pertinentem

diſputationem aſſumpſit, ut auctor libri de tribus epistol. affirmat. 2<sup>o</sup>. Cum RABANUS Gotheſchalcum libro impugnaret, ſed hic cum Semipelagianismi arguiſſet, ille iudex eſſe non potuit, ut ex L. un. c. Ne quis in ſua cauſa iudicet., et c. 23. Q. 4. patet. 3<sup>o</sup>. Gotheſchalcus a RABANO et Synodo Mog. repulſus potius fuit, quam damnatus; tum quia id aſſerunt Flodoardus et Annales Fuldenses: tum quia alias Gotheſchalcus contra jus omne duplici ſententia et pœna damnatus eſſet.

Ad 1<sup>am</sup>. R. Tr., quod Nottingus non habuerit tantam eruditionem, ut ipſe decernere potuerit in quæſtione altiſſima; nullo tamen documento oſtendi poteſt, eum tantæ fuiſſe ſtupiditatis ut quæ diceret Gotheſchalcus memoria ſuſcipere, et RABANO iudicanda enarrare nequiverit. Deinde ſinceram et accuratam Nottingi relationem fuiſſe conſtat, tum ex Synodali epistoſa RABANI, in qua iſ eodem in Gotheſchalco præſente notavit errores, quos de abſente audierat: tum ex eo quod RABANUS etiam poſt exortas in Gallia de vera Gotheſchalc mente controverſias illuc miſerit ſuum ad Nottingum libellum olim exaratum: demum ex eo ipſo conſtat, errore facti deceptum fuiſſe auctorem libri de trib. epistol., tibi ſcripſit diſputationem, quam contra errorem prædeſtinationis ad peccatum RABANUS inſtituit, non eſſe neceſſariam nec pertinentem ad rem, cum in ſententia damnationis hunc ipſum errorem in Gotheſchalco perſtrinxerit.

Ad 2<sup>am</sup>. R. N. Ass. Quia RABANUS æque potuit eſſe iudex Gotheſchalc, ac ALEXANDER ARII, CYRILLUS NESTORII, AUGUSTINUS PELAGII; cum veritatis fidei ac Eccleſiæ cauſam ageret, non autem propriam, privatam ac perſonalem, de qua Jura laudata loquantur. Præterea cum RABANUS non unus, ſed trium provinciarum Episcopos Moguntia judicaverint, Gotheſchalcus vero contra illum non exceperit; iudicium Synodale nullo laborare vitio ſatis manifeſtum eſt.

Ad 3<sup>am</sup>. R. Qui Gotheſchalcum repulſum ſcribunt, partim non negant damnatum, quod ex epistoſa Synodali apertum eſt; partim exponunt quid poſt damnationem factum ſit, nempe a reditu in Germaniam prohibitum, et ad proprium Metropolitanum eſſe rejectum. Ideo tamen Gotheſchalcus duplicem ſententiam proprie non ſubivit; quia Moguntini Patres generalim tantum errores ejus damnarunt, nec pœnam in eum decreverunt, iudicium plenius et pœnæ inflictionem Metropolitanum relinquentes: quanquam nihil ſit in hiſtoria Eccleſiaſtica frequentius, quam pluribus in Conciliis damnari eandem hæreſin, et hæreticos in errore obſtinatos diverſis pœnis a iudicibus aliis affici.

279. Obj. II. 1<sup>o</sup>. SIRMONDUS ipſe Diſſert. de duob. Dionyſiis (opp. t. 4.) fateſtur, Hincmarum falli et fallere proclive fuiſſe. 2<sup>o</sup>. NICOLAUS I. notavit Hincmarum falſitatis, fraudulentia, ſuperbia, crudelitatis et phariſaice indurationis; illiusque Concilia appellavit conventicula de ſanguinibus. 3<sup>o</sup>. HINC MARUS in altera cauſa circa Trinam Deitatem Gotheſchalcum declaravit ſimiliter blaſphemum et hæreticum, licet nemo negare poſſit veram traditionem a Gotheſchalco fuiſſe propugnata, cum univerſalis Eccleſia Trinam Deitatem affirmet.

Ad 4<sup>am</sup>. R. D. SIRMONDUS fateſtur proclive fuiſſe Hincmarum falli et fallere

in veteribus historiis et alienis relationibus *C.* In negotiis quæ gessit, in Conciliis quibus interfuit, in pugnis quas contra *Gotteschalco* iniit *N.*

*Ad 2<sup>um</sup>.* *R. D. NICOLAUS* notavit *Hincmarum* horum scelerum in causa *Gotteschalco* *N.* in causis diu post secutis cum *Rothado* Ep. *Suessionensi*, aut etiam *juniore Hincmaro* Ep. *Laudunensi* *subd.* et ab iis etiam sceleribus *Hincmarus* se Pontifici purgavit *C.* de iis, ut accusatus, etiam convictus fuit *N.*

*Ad 3<sup>um</sup>.* *R. D. HINCMARUS* declaravit *Gotteschalco* blasphemum et hæreticum ob *Trinam* Deitatem in sensu erroneo assertam *C.* ob assertam in sensu catholico *N.*

280. *Obj. III.* *AMALO* deceptus est ab *Hincmaro* per se vel alium litteras tanquam manu ac stylo *Gotteschalco* confingente, et supposititia nescio quæ scripta mittente. *Conf.* Libellos, ex quibus *AMOLO* collectos errores refutavit, non fuisse scriptos ac missos a *Gotteschalco*, ostenditur; quia 1<sup>o</sup>. is carceri inclusus, a communione omnium præcisus, sub potestate *Hincmari* constitutus, nemini colloqui nihilque scribere potuit, nisi quatenus illi expedire videbatur: 2<sup>o</sup>. Quia *AMOLO* testatur scripta ad se missa, quæ *Gotteschalco* ad vel contra *Episcopos* damnationi suæ præsentibus protulerat; sed hæc patet esse exusta in Concilio; ergo hæc mittere non potuit. 3<sup>o</sup>. Quia scripta transmissa erant plena convitiis in *Episcopos*. Sed non videtur ea temeritate aut potius insania fuisse *Gotteschalco*, ut talia scripta mitteret *Archiepiscopo*.

*R. N. Ass.* Quia ejusmodi fraus tum ad perdendum hæreticum tum ad se defendendum *Hincmaro* plane inutilis et maxime periculosa fuisset, cum facile sive a *Gotteschalco*, sive a *Lugdunensibus*, sive ab aliis detegi potuisset; quorum nemo quia conquestus fuit, aut postea quidpiam simile objecit, a posteriori satis probatur nihil scriptorum supposititorum *AMOLONI* fuisse redditum.

*Ad 4<sup>um</sup>.* *R. Gotteschalco* opportunitatem scribendi et rimam non unam scripta emittendi fuisse, satis constat ex duplici ejus confessione, litteris pluribus et libellis ad alios missis, et per *Guntbertum* monachum etiam ad Pontificem destinatis; quare ex objectis illis circumstantiis nulla impossibilitas scriptorum *Gotteschalco* ad *Amolonem* translatorum probatur, ut inde necesse fuerit suppositionis fraudem in *Hincmarum* conjicere.

*Ad 2<sup>um</sup>.* *R. D. M.* Testatur *AMOLO* scripta ad se missa fuisse eadem numero et autographa, quæ protulerat in Concilio *N.* eadem specie et argumento, sive apographa apud suos discipulos relicta, sive recens in eundem sensum exarata *C.*

*Ad 3<sup>um</sup>.* *N. m.* Non enim adeo verecundum et reverentem habere *Gotteschalco* necesse est, ut dicamus eum non ausum fuisse chartæ, quæ erubescere nescit, committere convitia, quæ reus mox damnandus palam in os *Judicibus* suis in Concilio sedentibus ingessit: præsertim cum in confessione sua prolixiore adversarios suos appellet hæreticos, detestetur et anathematizet.

281. *Obj. IV.* 1<sup>o</sup>. Concilium *Mog.* fuit placitum potius regium, quam Synodus Ecclesiastica. 2<sup>o</sup>. Plures Scriptores antiqui in eo conventu *Gotteschalco* duntaxat dicunt convictum, non autem damnatum, et quidem ut pluribus visum, non vero ut omnibus. 3. Epistola superius laudata non

videtur *synodalis*, sed privata *RABANI*; tum quia nomen suum solum præfigit in titulo: tum quia in decursu singulariter scribit, ut *audi*; ergo.

*Ad 1<sup>um</sup>.* *R.* Utrumque dici potest *conventus Moguntiae* pro more illorum temporum et etiam præcedentium celebratus, secundum quem in Comitibus apud Regem coactis et de Reipublicæ negotiis a Proceribus laicis, et de rebus Religionis ab Ecclesiasticis decernebatur auctoritate utrinque propria, et pro conventuum varietate nomine vel *Placiti* vel *Synodi* imposito.

*Ad 2<sup>um</sup>.* *R.* Dum quidam *Gotteschalco* dicunt convictum in Synodo, hoc ipso damnatum enuntiant; cum *synodalis* convictionis effectus et finis non sit nisi hæreseos vel hæretici condemnatio. Porro quod plurimis, non tamen omnibus, hæc condemnatio probata fuerit; ostendit difficultatem et subtilitatem quæstionis agitatæ, *judicii* tamen vim non tollit, ut ex aliarum consultationum consuetudine liquet.

*Ad 3<sup>um</sup>.* *R. N. Ass.* Concilii præsidem vel alium Patrum nomine edere *synodalem epistolam*, usu frequenti receptum fuit, ut hoc etiam seculo obvium est exemplum in *Tullensi II. Concilio*. Auctorem epistolæ hujusmodi jam plurali, jam singulari numero verba facere, documentum habetur in hujus seculi Synodo apud *Murittum*: utramque formulam usurpatam a *Rabano* ex objectione et fragmento ipsius epistolæ supra recit. apparet.

282. *Obj. V.* In Concilio *Carisiaco* 1<sup>o</sup>. *Doctrina Gotteschalco* de prædestinatione et reliquis capitibus vel non fuit examinata, vel saltem notata aut aliter reprobata: nec ejus personæ pœna hæreseos, nempe excommunicatio imposita, ut ex tenore sententiæ liquet. 2<sup>o</sup>. Nec in indictione nec in executione pœnæ fuit jus aut modus observatus; cum supplicium virgarum hæresi non sit statutum, et inauditum irreligiositatis ac crudelitatis exemplum fuerit, flagris ac cædibus tamdiu esse cruciatum, dum libellum apologeticum in ignem projiceret.

*Ad 1<sup>um</sup>.* *R.* Imprimis doctrinam *Gotteschalco* de prædestinatione et reliquis Capitalibus examinatam, docet sæpius *HINCMARUS*, et Scriptor de trib. epist. non diffitetur: eandem dein perversitatis damnatam demonstrat ipsa sententia judicialis, hæreseos etiam et fidei adulteratæ nota affectam *HINCMARUS*, *L. de non trin. Deit. c. ult.* asserit. Demum *Gotteschalco* fuisse excommunicatum docet tum quæstio *HINCMARII Prudentio* et *Rabano* proposita, num *Gotteschalco* in Paschate ad Cœnam Dom. sit admittendus? tum iterata ab eodem ad Pontificem et alios protestatio, recipiendi ad communionem hæreticum pœnitentem; tum exprobratio *AMOLONIS* hac de re *Gotteschalco* facta.

*Ad 2<sup>um</sup>.* *R.* Multiplex pœna multiplici delicto respondit: depositio irregulari susceptioni et usurpationi sacerdotii; improbitati morum, contumaciæ ac maledicentiæ flagra et verbera; vagæ extra monasterium sine licentia oberrationi, usurpato ac sine missione prædicandi et docendi officio, sparse ac pertinaciter propugnata hæresi carcer, silentium et excommunicatio. Virgarum supplicium, quod maxime quidam traduxerunt, tum ab *Episcopis* tum ab *Abbatibus Gotteschalco* justissime decretum est; cum memoratis delictis hæc pœna in clericos quidem a *Conc. Agathensi Can. 38.* in monachos autem a *S. Benedicto* in *Reg. c. 28.* fuerit statuta. Severitas

executionis vel ultra verum exaggerata fuit a Scriptore Lugdunensi; vel erat commensurata contumaciæ, et propria culpa a *Gotteschalco* accersita; qui cum accelerata retractatione gratiam Patrum paratam consequi posset, non nisi subacta verberibus patientia et vincente obstinationem dolore libellum suum manibus excuti permisit.

283. *Obj. VI.* Concilium Carisiacum 1°. Videtur esse pseudo-Synodus; tum quia nec ipse HINC MARUS illum conventum Synodi nomine ausus est compellere: tum quia in Capitulari Caroli Calvi nulla hujus Synodi fit mentio. 2°. Est conventiculum furtivum, clandestinum, præcipitatum, libertate destitutum, et paucorum Episcoporum eorumque factiosorum. 3°. Ejus Capitula fuerunt explosa a Concilio Valentino, quod una cum Lingonensi fuit approbatum a Nicolao Pontifice, ut Prudentius Tricassinus in Annalibus suis memorat, et HINC MARUS ipse fatetur.

*Ad 1<sup>um</sup>.* R. N. *Ass.* Ratio prior allata falsi revincitur ex L. de prædest. c. 21. et 37., ubi HINC MARUS Synodi nomen exprimit, quin et Valentina Synodus, cap. 4. et Scriptor de tenend. verit. c. 2. Capitula Carisiaca in Synodo edita declarant. Posterior vero nihil officit; cum in capitularia referri non solebant articuli fidei, quales erant Canones Carisiaci, sed decreta et placita vel ad mores formandos, vel ad externum populorum regimen spectantia, ut maxime ex capitularibus Caroli Calvi a Sirmondo collectis patet; in quibus plures Canones Synodorum certissimarum non extant, nullus etiam insertus legitur, qui quidquam in fidei dogmate decernat.

*Ad 2<sup>um</sup>.* R. Concilium hoc male dici furtivum et clandestinum, quod Carolus Calvus haberi jussit, et in conventu publico Episcopi cum Abbatibus celebrarunt: *præcipitatum* eatenus dici potest, quatenus subito indictum et brevi temporis spatio, urgente remedii principe, confectum est: non autem quasi ab imparatis et sine causæ cognitione sit peractum; cum duo jam Concilia præcesserint, et per hæc tempora tum scriptis tum vocibus ultro citroque frequenter fuerit disputatum. Libertate destitutum negatur; cum Historicorum nullus meminerit in fidei rebus a Carolo Calvo vim ulli factam; neque Prudentius, Lugdunenses, aut Valentini, quantumlibet Capitulis Carisiacis infesti, simile quid huic Concilio objecerint. Quot, et qui Episcopi interfuerint, silentibus auctoribus et coævis omnibus, asseri certo non potest: adfuisse tamen ac subscripsisse Prudentium Tricassinum, L. de prædest. HINC MARUS non semel testatur.

*Ad 3<sup>um</sup>.* R. Permissa etiam clausulæ auctoritate, eam obesse Carisiacis Capitulis negamus. Clausula enim, quæ a suis Auctoribus aboletur et expungitur, nullius est momenti ac irrita: sed VALENTINI PATRES SUOS Canones relegentes in Synodo Lingonensi expunxerunt et omiserunt, et in Conc. Tullensi I. dum offerebant hos Canones, de ea clausula penitus siluerunt; ergo. Neque id pacis duntaxat causa factum fuisse dici potest; cum enim in hac appendice antea Patres dixerint, Capitula Carisiaca esse inutilia, noxia, erronea, et veritati contraria; nisi hac omissione iudicii sui falsitatem edito interim Hincmari volumine majore confutatam tacite faterentur, causam fidei ac Religionis prodidissent, nec pro suo munere erroribus passim invalescentibus obstitissent. Quod approbationem Concilii a NICOLAO factam attinet, de ea nihil certi habemus.

284. *Obj. VII.* Quænam fuerit *Gotteschalci* sententia, non potest tutius ac melius cognosci quam ex *fidei confessionibus* ab eo editis: sed in his nullum est dogma, quod non habeat sensum catholicum, nec a *Gotteschalco* in sensu catholico sit propugnatum; ergo.

*Min. prob.* Nam primum de reproborum prædestinatione ad mortem, si de malo pœnæ accipiatur, est catholicum; sic autem a *Gotteschalco* acceptum esse testatur HINC MARUS L. de præd. c. 13. referens eum asserere, *prædestinari reprobos ad interitum, non ad peccata; et c. 21. Deum præscire eos pessimimum habituros ortum, pejorem obitum; prædestinare autem eos ad luendum pœnæ tormentum.* Secundum negans in Deo esse voluntatem salvandi omnes, intellectum de voluntate efficaci et absoluta est catholicum: de hac autem voluntate loqui *Gotteschalco* patet rursus ex HINC MARO L. cit. cap. 24. et ep. ad Nicol., ubi notatur hæreticum nisi in eo quod *Dominus noster omnia quæcumque voluit fecit.* Tertium volens Christum non esse mortuum pro mundi redemptione est quidem hæreticum; sed *Gotteschalco* tantum negat Christum pro reprobis esse mortuum *perpetualiter*, h. e., cum voluntate absoluta donandi illis perseverantiam et coronam, cum HINC MARUS L. cit. cap. 33. sic eum referat loquentem: *Absit procul a me, ut vel illud solummodo velim somnare, nedum semel susurrare, ut ullum eorum perpetualiter secum periturum antiquus rapere valeat anquis, pro quibus redimendis tam pretiosus Dei nostri fusus est sanguis.* Alia vero quæ *Gotteschalco* imputantur dogmata in confessione ejus non extant.

R. 1°. N. M. Tum quia antè Confessiones editas illius sententia in duplici Concilio per interrogationes judiciales expressa erat; tum quia eadem ex aliis ejus scriptis ab AMOLONE et HINC MARO intellecta fuit: tum quia confessiones illæ post damnationem scriptæ vel carceris tædio, vel sui defendendi studio, vel aliorum hæreticorum suos errores dissimulare consuetorum exemplo captiosæ et ambiguae sunt.

R. 2°. N. *min.* Quantumvis enim sensum Catholicum patientur ejus propositiones aliquæ, tamen collatæ cum aliis, quas num. 277. retulimus, habere illum nequeunt. Præterea vero sensu Catholico non fuisse ab eo acceptas, vel ex eo satis manifestum est, quod nunquam apertis et minime ambiguis verbis declaravit admittere se prædestinationem ad pœnas tantum, loqui unice de voluntate efficaci salvandi, ac de effectu et fructu Passionis dominicæ, et præter hunc sensum particularem probare etiam sensum communem alium; quod tamen facere oportebat, si catholice cum suis iudicibus ac universali Ecclesia sentire studuisset.

*Ad prob. N. 2<sup>am</sup>.* p. quia, ut Hincmarus L. de præd. c. 13. ait, hæc ad fucum faciendum addita fuerunt, et mutabant quidem erroris colorem, sed odoris atque saporis intelligentia idem redolebant.

*Quoad primum* enim, error cubabat in eo quod ad mortem asserat reprobos esse prædestinatos propter peccata *similiter omnino*, h. e. antecedenter absolute et incommutabiliter, ac electi per gratuitam gratiam sunt prædestinati ad vitam. *Quoad secundum*, in eo quod unam duntaxat in Deo voluntatem efficacem et absolutam statueret, et textum Apostoli de voluntate divina salvandi omnes non pateretur ad reprobos extendi. *Quoad tertium* error fuit, Christum non mortuum pro reprobis, qui sequebatur ex eo quod nullus

perpetualiter pereat, pro quo Christus fuerit mortuus; ut ex ipso textu allato constat, cujus particulam *perpetualiter* adversarii male ad Christi redemptionem transferunt.

*Inst. 1.* Remigius, Prudentius, Lupus Ferrariensis, Lugdunensis Ecclesia, et Valentini Patres videntur fide digniores, quam HINC MARUS; ergo cum hi *Gotteschalco* ejusque dogmatum defensionem susceperint; æquum erit benignius sentire de *Gotteschalco*, dicendo nempe verum quidem dogma ab eo assertum, sed vel ab illo imprudenter neque ex charismate defensum, vel ab aliis male intellectum fuisse.

R. 1°. Non sincere admodum agi ab Adversariis, qui unum HINC MARUM ex una, plures autem nominatos ex altera parte constituunt; cum ab HINC MARI partibus steterint RABANUS, AMOLO, PARDULUS; PATRES item MOGUNTINI, et CARISIACI in conventu duplici; quin et SYNODUS TULLENSIS II. quatuordecim provinciarum.

R. 2°. N. A. Quia major fides debetur RABANO, HINC MARO et AMOLONI, non tantum ob doctrinam eorum apud omnes pervulgatam, et prioris ac posterioris sanctitatem probatam, sed et quod illi, ut iudices legitimi vel arbitri rogati, *Gotteschalco* disputantem audierant, et varia ejus scripta accurate perlegerant: cum alii scriptionem nec adjuti iisdem præsiidiis nec eadem auctoritate muniti aggredierentur.

R. 3°. N. *supp. Cons.* Nam REMIGIUS nec ob scripta nec ob actionem aliquam fuisse *Gotteschalco* doceri potest: tum quia falso illi attribuitur anonymum quodecumque, aut sub Ecclesiæ Lugdunensis nomine in hac controversia emissum scriptum, ut CELLOTIUS accurate docet: tum quia favor *Gotteschalco* præstitus dici nequit, quod REMIGIUS Capitula Lingonensia in Synodo Tullensi I. obtulerit; cum testetur HINC MARUS non ultro et volentem REMIGIUM hoc munus obtulisse. PRUDENTIUM quidem damus *Gotteschalco* fuisse; sed errore facti: probasse ejus dogmata; sed mutato quæstionis statu, ubi nempe non de dogmate prædestinationis ad mortem et quidem ad peccata agebatur, sed de nomine tantum, an unam vel duplicem aut geminam prædestinationem dicere liceat et oporteat: demum repugnasse Capitulis Carisiacis, sed imprimis in alieno sensu acceptis ac præterea etiam antecedenter a se in Concilio subscriptis. LUPUS FERRARIENSIS, quamvis quoad loquendi modum in suis de tribus quæstionibus Libris cum *Gotteschalco* conveniat, ejus tamen dogmatibus erroneis nunquam consentit, ipso teste *Gotteschalco*.

Qui Ecclesiæ Lugdunensis nomine scripta ediderunt, vel Auctores sunt ignoti vel parvi æstimandi. De Scriptore contra Joan. Scotum dubitari jam supra est notatum, fueritne is Florus Magister, an alius quicumque? quin et sunt, qui titulum Ecclesiæ Lugdunensis falso adscriptum velint; cum diversitas characterum apparens in sensu decretorio: *Venerunt ad nos, id est, Ecclesiam Lugdunensem*, additamentum et alienam interjectionem non obscure prodat. Auctorem libelli *de tribus epistolis* non esse Lugdunensem aliquem, sed EBBONEM Gratianopolitanum, HINC MARUS docet. Reliquorum libellorum anonymus est Auctor. Denique VALENTINORUM Patrum, etsi nec ad HINC MARI querelas, utraque ad Carolum epistola et L. de prædest. allatas, nec ad alias circumstantias parum honorificas attendamus, auctoritas non admodum magna est; sive numerum Episcoporum spectemus, qui quartum decimum non excessit, sive doctrinam et sanctitatem, de qua nihil constat:

LINGONENSIVM autem est inferior, utpote a quibus viatoria quasi Synodus præpropere ac sine necessitate celebrata, et mutatio decretorum Valentino-rum licet justa, tamen male et cum levitatis vitio facta fuit.

*Inst. 2.* HINC MARUS *Gotteschalco* ubique accusat, quod eandem prorsus teneat pravitatem doctrinæ cum monachis Adrumetinis, aliisque veteribus Prædestinatianis: sed hæresin prædestinatianam nec Adrumeti nec alibi circa ætatem S. AUGUSTINI enatam esse, supra assertum est; ergo ejus doctrina male intellecta fuit; præsertim cum *Gotteschalco* sæpius professus fuerit nihil aliud se velle admittere, quam AUGUSTINI doctrinam, adeo ut teste HINC MARO L. de non trin. Deit. dicere soleret: AUGUSTINUS NOSTER.

R. 1°. D. *subsumpt.* Assertum est supra hæresin prædestinatianam non esse natam Adrumeti aut alibi circa Augustini ætatem, præcise in iis de quibus num. 270. enuntiavimus C. universim et in nullis N. Observavimus enim *in ipso* S. AUG. monasterio semina hujus hæreseos fuisse detecta, nec esse incredibile quod et apud alios aliquid simile emerit; præsertim cum circa AUG. dogmata inter Prædestinatianos et Semipelagianos ipsi Adversarii statuunt discrimen in sola animi comparatione, quæ simplex et incauta in prioribus, in posterioribus autem maligna et fraudulenta fuerit.

R. 2°. T. *subs. N. Cons.* Quamvis HINC MARUS errarit in designando loco et subjecto hæresis prædestinatianæ antiquissimæ, non tamen in ipsis dogmatibus *Gotteschalco* objectis est hallucinatus. Quod additum fuit de contentione vindicandæ sibi auctoritatis Augustinianæ, his certe temporibus nostris parum evincit, ubi præter *Wicleffum*, *Lutherum*, et *Calvinum* eadem olim jactantes, *Baii*, *Jansenii* ac *Quesnelli* discipuli manifesta exempla præbuerunt, hæreticos abuti auctoritate S. AUGUSTINI ad errores suos tum proferendos tum defendendos. Quippe dogmatibus suis AUGUSTINI nomen præferendo, sub eodem tutos se tectosque arbitrabantur.